



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. VII. Vtrum ad justificationem adulti requirantur actus formales &
expressi spei, pœnitentiæ, & dilectionis, vel sufficiant impliciti & virtuales?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

153. Accedunt etiam SS. Patrum testimonia, præsertim Augustini & Bernardi: ille enim scribit. 237. hæc scribit: *Attende ad ipsum fidei nomen: fides enim appellata est, quia sit quod dicitur: duæ syllabæ sonant, cum dicitur fides, prima syllaba à facto, secunda est à dicto. Interrogo te utrum credas? dicis, credo: fac quod dicis, & fides est.* D. vero Bernardus hæc verba Canticorum, *Recti diligunt te,* exponens, sic ait: *Quid fidem tuam ab actu dividis? fidem perimis tuam, fides enim sine operibus mortua est. Munus mortuum offers. Quæ hostia pacifica, ubi tanta discordia? Non Deum placas, sed offendis, discors tibi. Nec mirum si Cain in fratrem suum insurrexerit, qui fidem prius occiderat suam: fideicida, priusquam fratricida. Fidem ergo tuam animet dilectio, probet actio.*

154. Potest etiam suaderi conclusio congruè ratione: Homo per voluntatem suam averfus est à Deo cum peccavit: Ergo ut remittatur ei peccatum, debet ad ipsum converti per actum voluntatis; & per consequens non sufficit actus fidei.

155. Confirmatur: Voluntas per peccatum fuit præcipuè lauciata: Ergo congruum est, ut illa per aliquos actus sibi proprios moveatur ad justificationem, quæ est illius sanitas.

156. Confirmatur amplius: Deus unumquemque movet juxta modum suæ naturæ accommodatū: nam ut dicitur Sapient. 5. *Disponit omnia suaviter:* Atqui modus homini consentaneus est, ut per intellectum & voluntatem operetur; cum hæ duæ facultates ad naturam rationalem pertineant: Ergo congruum est, ut Deus moveat hominem ad justificationem, mediante utraque facultate, ipsumque ad eam disponat, non solum per actum fidei, qui pertinet ad intellectum, sed etiam per timorem, spem, contritionem, & dilectionem, quæ sunt actus à voluntate elicit.

§. II.

Exponuntur quedam Scripturæ loca quæ obijciuntur ab Hæreticis.

157. **C**ontra hanc conclusionem obijciunt hæretici Scripturæ testimonia, in quibus homo dicitur justificari per fidem, vel justificatio soli fidei tribuitur: Actorum 13. *In hoc omnis qui credit justificatur.* Ad Rom. 13. *Arbitramur justificari hominem per fidem.* Et cap. 4. *Reputata est fides Abrahæ ad justitiam.* Et ad Galat. 4. *Ex fide justificat Gentes Deus.* Unde Lutherus, teste Rosenli art. 36. ait: *Figmenta sunt omnia, quæ de preparatione liberi arbitrij ad gratiam tot libris tractata sunt.*

158. Sed ad hæc, & similia Scripturæ loca, triplex potest adhiberi responsio, seu interpretatio. Primo dici potest, justificationem tribui fidei tanquam initio & radici, non excludendo tamen alia opera ad eam disponentia. Ita Tridentinum sess. 6. cap. 8. ubi sic ait: *Cum Apostolus dicit justificari hominem per fidem, ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesie Catholice consensus tenuit & expressit: ut scilicet per fidem idèo justificari dicamur, quia fides est humane salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

159. Secundò responderi potest, illa intelligi de fide viva, quæ involvit ipsam formam justificantem, nempe gratiam & charitatem. Cui solutioni favet

Tom. IV.

A Paulus ad Galat. 5. dicens: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Unde Hieronymus, exponens verba suprâ relata ejusdem Apostoli ad Rom. 3. *Arbitramur justificari hominem per fidem,* ait: *Abutuntur quidam hoc loco ad destructionem operum justitiæ, solam fidem posse sufficere affirmantes: cum tamen alibi dicat Apostolus: si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

B Tertia solutio est, quòd justificamur per fidem, id est per ea quæ in doctrina Evangelica continentur, faciendo scilicet omnia, quæ juxta doctrinam Evangelicam ad justificationem requiruntur; inter quæ, præter fidem, numerantur plures actus voluntatis, timoris scilicet, spei, dilectionis, & penitentiae, ut patebit articulo sequenti.

Instant hæretici: Apostolus variis in locis asserit quod sola fides sine operibus justificat: Ad Roman. 3. *Arbitramur hominem justificari sine operibus legis.* Ad Ephes. 2. *Gratiâ estis salvati per fidem, non ex operibus.* Ad Galat. 2. *Scientes quoniam non justificatur homo ex operibus legis.* Ergo hæc interpretatio non est legitima.

C Sed facilè respondetur, quod quando Apostolus asserit hominem non justificari ex operibus, per hoc non intendit excludere actus supernaturales, quibus à peccato recedimus, & in Deum tendimus, sed duntaxat observantiam ceremoniarum & sacramentorum veteris legis: quia cum per mortem Christi ipsa lex vetus antiquata & abolita sit, ejus observatio non potest prodesse ad salutem & justificationem. Unde Paulus non dicit absolute hominem justificari sine operibus, sed addit, *sine operibus legis.*

Quod si interdum absolute dicat hominem salvari, vel justificari sine operibus, per hoc excludit solum opera meritoria justificationis, non verò ad illam disponentia; vel opera facta solâ virtute liberi arbitrij, sine gratia, ut sic ostendat justificationem fieri gratis, & non ex merito operum ipsam præcedentium.

ARTICVLVS VII.

Utrum ad justificationem adulti requirantur actus formales & expressi spei, penitentiae, & dilectionis, vel sufficiant impliciti & virtuales?

Suppono primò, actum spei ad justificationem requiri. Pater hæc suppositio primò ex Tridentino sess. 14. cap. 4. ubi dicitur contritionem, quæ omni tempore fuit necessaria ad impetrandam veniam peccatorum post baptismum commissorum, præparare ad justificationem, *si conjuncta sit cum fiducia divine misericordiae.* Et postea cum loquitur de attritione, dicit, quod si excludat voluntatem peccandi, *cum spe veniæ,* disponit ad gratiam in sacramento impetrandam. Secundo colligitur ex Scriptura: dicitur enim Marci 10. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:* & ad Roman. 8. *Spe salvi facti sumus.* Tertiò ratione suadetur: Cum enim remissio peccatorum non sit bonum humanum, sed divinum, & à solo Deo sperandum, non potest homo conari ad illud obtinendum, nisi speret se illud obtenturum, juxta illud Ambrosij lib. 1. penit. cap. 1.

V ij

Nemo potest agere penitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. Porro talis spes confluit ex consideratione divinæ misericordiæ remittentis peccata & præmiantis bona, sæpe in penitentibus adjunctam habet timorem, qui confluit ex consideratione divinæ iustitiæ punientis peccata; unde Isaïæ 25. versu 18. ubi vulgata habet: *Peperimus spiritum, salutes non fecimus in terra, &c.* Septuaginta sic legunt: *A timore tuo Domine concepimus & quasi parturivimus, & peperimus spiritum salutis, id est penitentia salutaris, ut interpretatur D. Thomas 3. p. quæst. 85. art. 3. in argumento sed contra.* Hæc duo attributa, misericordiæ scilicet remittentis peccata, & iustitiæ vindicativæ ea punientis, sunt veluti duo pedes, quos penitentem osculari oportet, ad peccati remissionem consequendam, ut more suo eleganter & piè meditatur Bernardus, qui ad eum sensum refert serm. 6. in Cantica quod Psal. 24. versu 10. dicit David: *Universe via Domini misericordia & veritas, moxque subiungit: Felix mens cui semel Dominus Jesus utrumque infixit pedem!* A duobus eam signis cognoscite, quæ secum necesse est referat de divinis vestigiis. Ipsa sunt timor & spes: ille iudicii, ista misericordia representans imaginem &c. Eodem sensu in sermone de sancta Magdalena pedes explicat quos dicitur peccatrix osculari Lucæ 7. & quorum unum osculari sine altero velle, vel temeraria securitas est, inquit, vel desperatio fugienda. Similiter Gregorius 33. Moral. cap. 11. explicans illud Deuteronomio 24. *Non accipies loco pignoris superiorem aut inferiorem molam, sicut: A debitore pignus accipitur, cum à peccatore jam peccati confessio tenetur: superior autem & inferior mola est spes & timor: spes quippe ad alia subvehit, timor autem cor inferius premit; sed mola superior & inferior ita sibi junguntur, ut una sine altera inutiliter habeatur. In peccatoris itaque pectore incessanter debent spes & formido conjungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam iustitiam timeat; incassum iustitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat.*

164. Suppono secundò, ad justificationem adulti, quæ fit extra sacramentum, præter actum spei, requiri etiam actum contritionis, & charitatis. Nam ut discit D. Thomas hic art. 5. ad justificationem requiritur quod homo recedat à peccato, & accedat seu convertatur ad Deum; sicut ad motum localem necesse est, quod mobile recedat à termino à quo, & accedat ad terminum ad quem: Sed recessus à peccato fit per contritionem & detestationem peccati; accessus verò seu conversio ad Deum, per actum charitatis, juxta illud Augustini: *Ad Deum accedimus non passibus corporis, sed mentis affectibus:* Ergo ad justificationem adulti extra sacramentum requiritur actus contritionis & charitatis. Dixi extra sacramentum: quia quando adultus justificatur ex vi sacramenti, sufficit attritio supernaturalis, ut docent Theologi in Tractatu de penitentia.

165. Hæc ut certa ab omnibus admittuntur: Sed de tribus est difficultas & controversia inter Theologos. Primò de actu spei, an scilicet ad justificationem requiratur quod ille sit formalis & explicitus, vel sufficiat quod sit implicitus & virtualis, seu in alio actu eminentiori & perfectiori contentus? Respondeo breviter, probabilius esse actum spei formalem non requiri ad justificationem, sed sufficere virtualem. Licet enim quando in iustifi-

A catione proceditur paulatim de imperfecto ad perfectum, actus spei præcedat actum penitentiae & dilectionis Dei super omnia, potest tamen homo subito moveri de peccato ad iustitiam, ex sola expressa consideratione Dei, & peccati, ut est ipsi injuriosum, non attendendo ad idem peccatum, ut est malum proprium, nec ad bona quæ Deus promittit; subindeque potest per actum penitentiae & dilectionis Dei super omnia justificari. Unde quando Tridentinum, locis supra citatis, docet actum spei præcedere justificationem, hoc debet intelligi, vel de spe formali, vel de virtuali, quæ in alio actu eminentiori contineri potest, nimirum in actu charitatis: cum enim spes respiciat Deum ut bonum proprium & particulare amantis, & charitas illum attingat ut est in se summum & universale bonum, continens omnia bona particularia; sicut objectum charitatis comprehendit materialiter objectum spei; ita & charitas eminenter continet spem, & actus charitatis est virtualiter in actu exercitio actus spei.

Secundò controversia est de actu penitentiae ad justificationem requisito, an scilicet ille debeat necessariò esse formalis & expressus, & ab actu dilectionis distinctus: Quidam enim ex nostris Thomistis partem affirmativam tenent, alij negativam amplectuntur.

Sed dicendum existimo, regulariter quidem, & per se loquendo, ad justificationem adulti requiri actum formalem penitentiae: quandoque tamen per accidens sufficere actum charitatis, absque formali contritione.

Prima pars probatur: Homo qui se convertit ad Deum, non solum tenetur recedere à peccato, ut est malum Dei, & quatenus opponitur bono divino, sed etiam debet recedere ab illo, ut est ejus injuria, & quatenus violat jus divinum; ratio enim naturalis postulat, ut qui injuriam intulit, de ea doleat, & in quantum fieri potest, eam compensare conetur: Sed dolor de peccato, ut est injuria Dei, & in quantum opponitur juri divino, pertinet ad penitentiam, & non ad charitatem, quæ solum habet detestari peccatum, in quantum est malum Dei, & prout bono divino contrarium, ut in Tractatu de penitentia explicari solet: Ergo regulariter & per se loquendo, ad justificationem adulti requiritur actus formalis penitentiae. Unde Cajetanus 3. p. quæst. 87. art. 1. existimat quod etiam Magdalena, cui Lucæ 7. dicuntur dimissa peccata, quoniam dilexit multum, non fuit justificata sine formali penitentia, quam declarabant lacrymæ, quibus irrigabat pedes Domini; quamvis Christus ibi non fecerit mentionem de ipsius penitentia, sed tantum de dilectione, ut declararet dilectionem fuisse principalem & originalem causam displicentiae quam habuit de peccatis suis, & ex ejus imperio talem dolorem processisse.

E Dices: Ut quis avertatur à Deo, & convertatur ad creaturam ut ad ultimum finem, non oportet intervenire duos actus, quorum unus sit formalis detestatio Dei, & alter formalis amor creaturæ; sed uno eodemque actu quo quis peccat, avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam ut ad ultimum finem: Ergo e contra, quando quis avertitur à peccato, & convertitur in Deum, eodem actu recedit à peccato, & accedit ad Deum, & per consequens ad justificationem, per se, & regulariter, sufficit unus actus, qui simul sit amor Dei formalis, & virtualis fuga seu detestatio peccati.

169. Respondeo primò ex D. Thoma de verit. quæst. 28. art. 5. ad 2. concessio Antecedente, negando consequentiam, & paritatem: ratio discriminis est, quia aversio à Deo, quæ reperitur in peccatis, est præter intentionem, & per accidens, & ideo non per se terminat aliquem actum, nec specificat illum, ut docetur in Tractatu de peccatis: aversio verò à peccatis, quæ requiritur ad justificationem, est per se intenta; & ideo debet dari actus specialis, ad illam per se primò terminatus.

170. Respondeo secundo, quod licet fuga & detestatio peccati, ut opponitur bono divino, possit esse idem actus cum amore Dei; quia ibi unum attingitur propter alterum, sub eadem ratione: non tamen odium peccati, ut violat jus divinum; quia habet diversam rationem formalem objectivam ab actu charitatis, qui terminatur ad Deum sub ratione summæ bonitatis.

171. Secunda pars, quæ asserit per accidens, & in aliquo casu extraordinario, sufficere ad justificationem adulti penitentiam virtualem, breviter suadet. Si non occurrat memoria alicujus peccati mortalis, post diligentem conscientie discussionem, & eliciatur actus charitatis, sine dubio destruetur peccatum, sine ullo actu formali penitentiae: tunc enim excusatur homo ab obligatione penitentiae, propter invincibilem ignorantiam quam habet peccatorum, & ab illis per actum charitatis (qui est penitentia quædam virtualis) mundatur; aliàs homo haberet duos ultimos fines, nempe Deum ratione charitatis, & creaturam ratione peccati mortalis; quod implicat. Unde D. Thomas 3. p. quæst. 87. art. 1. ait virtutem penitentiam sufficere ad remittenda venialia, non tamen mortalia, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem. Idem contingeret, si aliquis ita subito raperetur ad martyrium, ut non haberet tempus recogitandi peccata: ille enim tunc justificaretur sine penitentia, per actum formalem charitatis. Nam ut docet idem S. Doctor 3. p. quæst. 68. art. 2. ad 2. passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi, & mundat ab omni culpa veniali & mortali, nisi actualiter voluntatem inveniret inhaerentem peccato: idem habet in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. quæstione 4. Sed qui pro amore Dei repente rapitur ad martyrium, non habet voluntatem actualiter inhaerentem peccato; quia ille amor est virtualis detestatio peccatorum; & quia aliàs talis homo, ut dicebamus, haberet duos ultimos fines: Ergo ille in tali casu sine penitentia formaliter justificaretur. Licet ergo alij peccatores, ut justificentur, & disponantur ad gratiam, teneantur habere formalem contritionem de peccatis, quorum habent, vel possunt habere memoriam, tamen quia perfectissimus actus martyrii, requirit totam attentionem hominis circa amorem Dei, & confessionem fidei, probabile est quod talis contritio non exigitur in Martyre qui repente rapitur ad martyrium, ne mens ejus distrahatur circa recognitionem peccatorum; sed satis est, si tota ejus attentio occupetur in amore Dei, & confessione fidei, ac voluntate moriendi pro Christo, quia iste actus virtualiter includit odium peccatorum, & tale odium virtuale sufficit in isto casu ad justificandum peccatorem, propter privilegium speciale martyrii. Unde Chrysostomus serm. de penit. ait: *Martyrium penitentia præteriti non egerit.*

172. Tertia difficultas est de ipso actu dilectionis, Tom. IV.

A an necessariò debeat esse formalis, vel sufficiat quod sit virtualis? Quidam enim existimant ad justificationem sufficere virtutem dilectionem: quia (inquiunt) voluntas eodem actu fertur in finem ut quo, & in media ut quod; & sic actus penitentiae, qui est in peccata ut destruenda, est actus in media ut quod, ac proinde est in Deum ut quo, & sic est simul penitentia, & quodammodo dilectio Dei; unde solus sufficit ad justificationem.

Sed quamvis hæc opinio non videatur omnino improbabilis, longè tamen probabilior est illa, quæ asserit ad justificationem adulti extra sacramentum requiri necessariò actum formalem charitatis: Tum quia actus charitatis, cum sit omnium præstantissimus, non potest in alio perfectiori & præstantiori eminenter seu virtualiter contineri, sicut actus spei, & penitentiae, in actu charitatis continentur: Tum etiam quia actus charitatis est per se dispositio ad gratiam; quod patet ex eo quod Angeli, & primi Parentes eam non sunt consecuti, nisi mediante tali actu. Adde quod actus perfecta penitentiae procedit ex imperio charitatis: quare vel non est perfecta penitentia, quæ sufficiat ad justificationem, vel simul est cum actu charitatis.

Adverte tamen cum Gregorio de Martinez, quod licet ad justificationem requiratur formalis actus charitatis, non est tamen necessarium, ut talis actus sit formalis dilectio, sed sufficit quod sit virtualis, inclusa scilicet virtualiter in actuali dolore seu detestatione peccati, elicitæ à virtute charitatis; quæ duos habet actus, scilicet amare Deum super omnia, & dolere de malo illi opposito, formaliter quatenus malum ejus est; ex quo actu imperatur actus penitentiae, qui est formalis detestatio peccati, quatenus violat jus divinum, & Deo infert injuriam, cum intentione ipsam recompensandi & in se puniendi.

Ex his habes duos tantum esse actus, qui formaliter & explicitè ad justificationem requiruntur, & sine quibus in nullo casu adultus extra Sacramentum justificari potest, nempe actum fidei, & charitatis. Cum enim non dentur aliqui actus præstantiores in intellectu & voluntate, qui virtualiter contineant actus fidei & charitatis, nullus potest justificari per fidem & charitatem virtutalem, sed tantum per formalem. Si verò daretur aliquis actus supernaturalis in intellectu, virtualiter seu eminenter continens quidquid continetur in cognitione fidei, non esset improbabile dicere, quod ille sufficeret ad justificationem; ut si alicui posset communicari scientia infusa Christi, sine visione beata, per illam sine fide non solum posset mereri, sicut Christus meruit, sed etiam habere omnem cognitionem supernaturalem, requisitam ad justificationem.

Quæres, an per absolutam Dei potentiam possit adultus justificari sine ullo motu liberi arbitrii in peccatum?

Respondeo affirmativè; nam Deus potest ponere formam in subjecto, sine propria & congruente ejus dispositione ad illam, ut supra art. 3. contra Vazquem ostendimus: Ergo Deus potest, de absoluta potentia, adultum justificare, sine actu contritionis aut dilectionis, & sine ullo plane motu liberi arbitrii in peccatum.

Confirmatur: Adultus in Sacramento Penitentiae justificatur cum sola attritione, quæ est dolor quidam imperfectus de peccatis; & parvu-

lus in sacramento Baptismi recipit gratiam, sine ullo motu liberi arbitrij: Ergo similiter adultus, de absoluta potentia, justificari poterit, sine aliquo ejus actu, quo disponatur ad gratiam, per hoc scilicet quod ipsi dormienti, vel nihil operanti, habitus gratiæ sanctificantis à Deo infundatur; quia talis infusio erit virtualis peccati præcedentis retractatio; habitualiter enim transmutabit affectum illius à volitione peccati ad amorem justitiæ.

178. Confirmatur amplius: Si humanitas maculata peccatis uniretur personaliter Verbo Divino, justificaretur per talem unionem, antecedentem omnem ejus actum, & mundaretur ab omni peccato, ut docent Theologi in Tractatu de Incarnatione: Ergo per absolutam Dei potentiam potest impius justificari, sine ullo motu liberi arbitrij in peccatum. Sed de his fusiis in Tractatu de penitentia, ad quem hujus difficultatis resolutio pertinet.

Disp. 3.
art. 2.
concl. 3.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum actus contritionis & charitatis, qui ad gratiam habitualement ultimò disponunt, ab ea effectivè procedant, vel ab auxilio actuali, per modum transeuntis communicato?

179. **Q**uestio solùm procedit de actibus contritionis & charitatis, qui sunt dispositiones ultimæ ad gratiam habitualement, eam concomitantes in eodem instanti in quo infunditur; nam de alijs dispositionibus præcedentibus tempore infusionem gratiæ, non est dubium quin proveniant, tanquam à principio effectivè, ab aliquo auxilio distincto realiter à gratia habituali. Non est etiam hujus quæstionis sensus, an gratia habitualis sit immediatum principium productivum illorum actuum, cum illa non sit immediatè operativa, ut in Tractatu de gratia docuimus: Sed inquirimus solùm, an gratia habitualis sit illorum actuum principium mediatum, eosque efficiat medijs habitibus operativis charitatis & penitentia, qui simul cum illa infunduntur in instanti justificationis; vel illi procedant ab aliquo solùm auxilio speciali, à gratia habituali entitativè distincto, & per modum transeuntis communicato.

Disp. 2.
art. 6.

180. Ratio dubitandi est, quia ex una parte videtur intelligibile, quod aliquis actus ab aliqua forma effectivè procedat, & tamen ad ejus receptionem subjectum disponat: si enim ab illa efficiatur, eam jam existentem, & in subjecto receptam supponit; cum nulla causa efficiens agat, nisi existat, & accidentis esse sit subjecto inesse; atque adeo ad ejus receptionem subjectum non disponit. Aliunde verò, cum actus contritionis & charitatis sint perfectè vitales in ordine supernaturali, & meritorij gloriæ æternæ, non videntur posse procedere, nisi à principio radicali vitæ supernaturalis, quod est gratia sanctificans, quæ in ordine supernaturali gerit vices substantiæ; sicut in ordine naturali intellectio & volitio, quia sunt actus vitales, non possunt procedere nisi ab anima, quæ est principium radicale vitæ intellectualis.

181. Hæc difficultas, quæ, ut ait Medina, magis subtilis, quàm utilis est, Theologorum ingenia non

A parum torquet, eosque in duas sententias omnino oppositas abire compellit. Quidam enim existimant tales actus ad gratiam disponentes, non procedere effectivè ab ea, sed ab auxilio actuali, per modum transeuntis communicato, & à gratia habituali realiter & entitativè distincto. Hanc sententiam communiter defendunt recentiores Theologi, Suarez, Molina, Bellarminus, Curiel, & alij, & ex Thomistis Joannes à S. Thoma, Aravius, Hacquetus, & Philippus à S. Trinitate. Alij verò Discipuli D. Thomæ, quos sequuntur Vazquez, & Valentia, contendunt actus contritionis & charitatis, qui ad gratiam habitualement ultimò disponunt, ab ea procedere efficienter, mediante habitibus penitentia & charitatis, subindeque esse illà priores & posteriores in diverso genere causæ, & secundum diversas rationes & formalitates, quas in gratia habituali distinguunt. Hæc sententia videtur probabilior, & principijs doctrinæ D. Thomæ, & antiquiorum Thomistarum conformior. Unde pro ea sit.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, actus contritionis & penitentia, ad gratiam ultimò disponentes, esse effectivè ab ipsa, ut à principio radicali, non verò ab aliquo auxilio, ab ea realiter distincto.

Hæc conclusio probari solet à nostris Thomistis, pluribus D. Thomæ testimonijs, quæ brevitate causâ prætermitto, & duo tantum quæ videntur clariora profero. Primum habetur in 4. sent. dist. 17. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ubi loquens de actibus charitatis & contritionis, qui ad justificationem ultimò disponunt, sic ait: *Cum isti motus qui sunt in ipsa justificatione impij, sint quasi dispositio ultima ad gratia susceptionem, suo modo procedunt quidem in via causæ materialis, sed sequuntur in via causæ formalis.* Unde cum ex eodem S. Doctore ibidem in corp. art. forma, finis, & agens, incident in idem numero vel specie, (ex quo ibidem infert infusionem gratiæ esse priorem remissione culpæ, non solùm in genere causæ formalis, sed etiam efficientis, & finalis) manifestum est, juxta illius principia, actus contritionis & charitatis, qui ad gratiam habitualement ultimò disponunt, ab ipsa effectivè procedere, & illam quidem præcedere in genere causæ materialis dispositivæ, sed subsequi in genere causæ, non solùm formalis, sed etiam efficientis & finalis.

Secundum sumitur ex art. 8. hujus quæstionis, ubi querit an gratiæ infusio sit prima in ordine naturæ inter ea quæ ad justificationem requiruntur? & contra partem affirmativam, quam cum aliqua modificatione sustinet, sibi objicit secundo loco: *Dispositio præcedit naturaliter formam ad quam disponit: sed motus liberi arbitrij est quædam dispositio ad susceptionem gratiæ: ergo præcedit infusionem gratiæ:* Cui argumento sic respondet: *Ad secundum dicendum, quod dispositio subjecti præcedit susceptionem formæ, ordine naturæ, sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam ipsum subjectum disponitur: & ideo motus liberi arbitrij, naturæ ordine præcedit consecutionem gratiæ, sequitur autem gratiæ infusionem.* Unde constat ex D. Thoma, actionem per quam producantur actus contritionis & charitatis, ad gratiam disponentes, ex parte ipsius Dei, esse ipsam